













1686.

1. Kunstmann, Mathaeus: Non iudex semper secun-  
dum leges, an etiam etiam secundum aequitatem  
iudicare debeat?
2. Zan, Conradus Fridericus: De dependentibus in genere.
3. Zan, Conradus Fridericus: De poenae poenitentiae iustis  
infligendis, ex leg. C. et leg. Jul. peccul. distinctione  
sponsaliorum, consuetudinis furum, iure mariti  
ex adulterio uxoris.
4. Zan, Conradus Fridericus: De iure indigenatus.
5. Paulus, Theodorus: Miscellaneae aliquot  
theses.
6. Schuetze, Bernhardus: Positiones juris miscel-  
laneae.

1687.

1. Funerius, Georgius: De iure principum legis-  
latorio.



1687.

1. Funccius, Gurgius : De imperio principum secula-  
riam circa religionem et sacra-
3. Mitgelius, Johannes : De testimonio foeminarum.
4. Renger, Sebastianus Christianus : De jure baptisui . . .
5. Renger, Sebastianus Christianus : De obsequio paren-  
tibus et patronis praestando

1688.

Renger, Sebastianus Christianus : De jure suspendii

1689.

1. Bally, Johannes Anstrophorus : Legitima forum liberorum  
jura potiora .
2. Hognovius, Michael : De erroribus politiciis Maestri-  
celli.
3. Pentus, Theodorus : De bonis naufragorum fisci  
et privatorum acquisitionem effugientibus .
4. Renger, Sebastianus Christianus : De archis .



1687.

5. Ranzey, Sebastianus Christianus : *De jure baptismi*. . .

1690.

1. Strell, Johannes Heinesii : *De angina alba*  
sen *prunella alba* . . . .

2. Stein, Joannes : *De interpretatione 13 P. de*  
*verbo, Hadriani tollendo, et quomodo ad scriptas*  
*heres in possessionem mittatur* :

1691.

Schultz, Christoph : *De chirographal vacante* . . .

1692.

Boltz, Johannes Christophorus : *De conditionibus spon-*  
*salium, contractuum et ultimarum voluntatum* .

1693.

Stein, Johannes : *De peculis* . . . .

1694.

1. Berent, Johannes : *De spoliis emichorum*  
*juniorum cum prius conjugio eorum* . . .



1694.


2. Paulus, Theodorus: Observationes curiosae
3. Schroenfeld, Mauritius: De usuris, earumque  
ac ejus, quod interest Differentia . . . . .
4. Stein, Johannes: De testium pugna.
5. Stein, Johannes: De facto in continenti facien-  
do, seu de iis, quae in continenti fieri debent
6. Braun, Carolus Gothofredus: De purgatione  
vulgori. Accensio: de juramento Indaeorum,  
ejusque formulae solennis.



1689, 1  
16 14

I. N. J.  
DISSERTATIO JURIDICA  
**LEGITIMATO-**  
**RUM LIBERORUM**  
*JURA POTIORA*  
brevibus exhibens,

*Quam.*  
Sacrosancta Favente Triade,  
Magnifici fctorum Ordinis Auctoritate,

PRÆSIDE  
MAGNIFICO RECTORE  
DN. JOHANNE CHRI-  
STOPHORO 

Professore Publ. Ordinari. Facult. Jurid. Decano,

*Pro impetranda ritè in utroq; jure*  
*legendi facultate,*

JOHANNES HENNINGIUS *Sperber/*

Jur. Utr. Candidatus,

publicè

*Eruditorum examini subjecit*

IN AUDITORIO MAJORI,

d. 14. Julii 1689,

REGIOMONTI, Typis RELISNERIANIS,



*SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS BRANDENBURGICI,*

**FRIDERICI III.**

Summis in Prussia Regentibus, Consiliariis Status  
Eminentissimis,

*PERILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS & GENEROSISSIMIS*

**DOMINIS**

**DN. JOHANNI ERNESTO**

*à Wallenrodt/*

Supremo Provincialis Aulae Magistro,

Hereditario Domino in Pachtollen / Königsee / Prackelwitz / Neuen-  
dorff / Altstadt / Ziegelack / Liepe / &c.

**DN. GEORGIO FRIDERICO**

*à Kreitzen/*

Summo Prussiae Cancellario, nec non Supremi Tri-  
bunalis Praesidi ac Feudorum Prussicorum Directori,

Hereditario Domino in Weßlinen / Pöhren / Wulffshöfen /  
Köfeynen / &c.

**DN. CHRISTOPHORO**

*à Schlieben/*

Supremo Prussiae Marschallo,

Hereditario Domino in Wandlack / Arehlitten /  
Marschhausen / &c.

**DOMINIS SUIS GRATIOSISSIMIS.**

Dissertationem hanc in sui commendationem,  
mente humillima consecrat

**JOH. HENN. Sperber / J.U.C.**  
Fridl. Pruss.



Quod felix faustumq; jubeas  
Divinum Numen!

CAPUT I.

DE

LEGITIMATORUM DE-  
SCRIPTIONE ET DIVISIONE.

S U M M A R I A.

<i>Quare Etymologia &amp; Equivo- catio Inscriptionis hic non attendatur.</i>	<i>num. 1</i>	<i>Quinam per subs. marr. legiti- mati sint.</i>	<i>n. 6</i>
<i>Descriptio legitimatorum.</i>	<i>n. 2.</i>	<i>Rescripto Principis legitimati qui.</i>	<i>n. 7</i>
<i>Qui per naturales in descriptio- ne Legitimatorum intelligen- tur.</i>	<i>n. 3</i>	<i>Per oblationem Curie legitimati quinam sint.</i>	<i>n. 8</i>
<i>Naturales invito non legitiman- tur.</i>	<i>n. 4</i>	<i>Naturales à patre sui filii no- minati non constituunt quar- tum genus legitimatorum</i>	<i>n. 9.</i>
<i>Legitimati sunt triplicis gen- ris.</i>	<i>n. 5</i>		



E Juribus Legitimatorum disserturus, operæ pretium non duco, circa verborum corticem laborare, ac in Æquivocatione & in Etymologia Inscriptionis harere, tum quod nulla in ea difficultas sit, cum facilè à quolibet capi possit; tum quod Jurisprudentia de rerum momentis sollicita sit, sed potius inanes verborum contentiones, minutias istas & scrupulositates sciolis relinquo. Rem ipsam

quod attinet, Liberi Legitimati generaliter, & non adeò malè, siquidem non omnium rerum natura fert, ut accuratà & ad Analyticorum regulas examinatà definitione possint includi, hòc modò describi poterant:

A



runt: Legitimatii Liberi sunt, qui cum initio naturales essent, & extra patriam potestatem constituti, postea per actum aliquem posteriorem, consentientes legitimi effecti ac patriæ potestati subiecti sunt. §. ult. *Inst. de nupt. Nov. 89. c. 1. Rittershul. in Novell. part. 4. cap. 12. n. 5. Schulz. ad Inst. tit. de hered. que ab int. cap. 2. Strauch. de success. ab intest. Disp. 3. th. 4.*

3 In hac descriptione Legitimatorum, per Naturales secundum Jus Civile, non spurii ex meretrice nati, aut ex prohibita vel damnata conjunctione, v. g. ex adulterio vel incestu quæsi, intelliguntur, tales enim omni beneficio sunt indigni, & in Legibus ob detestationem horum gravium criminum, abominabiles habentur, *auth. Ex complexu C. de incest. & inut. nupt. Nov. 74. c. 6. Nov. 89. c. ult.* Sed liberi ex concubina eaq; unica, extra conjugium suscepti. *d. §. ult. Inst. de nupt. l. cum quis. 10. C. de natur. lib. Nov. 117. cap. 2.*

Verùm Jure Canon. moribusq; nostris Naturalium appellatione comprehenduntur nati exstupro, spurii & vulgò quæsi, quivè procreati sunt ex iis parentibus, quos inter, tempore conceptionis & natiuitatis nullum erat impedimentum ad matrimonium legitime contrahendum. *C. innotuit. 20. X. de Elect. c. tanta. 6. X. qui filii sint legit. Covarruv. de matr. p. 2. cap. 8. §. 2. n. 2. Molina de Just. & Jur. tom. 1. traçt. 2. Disp. 172. n. 3. Ludswell. ad Inst. Exerc. 2. th. 7. Lit. b.*

4 Dicitum quoq; in descriptione Legitimatorum, quod naturales consentientes legitimentur. Requiritur enim in omni Legitimatione legitimatorum consensus vel ratihabitio in *Nov. 89. cap. 11.* ubi hoc expressè à Justiniano constitutum est. Et quoties de præjudicio alicujus agitur, consensus ejus requirendus est, *arg. l. Cum nepos. 6. l. nam ita. 39. π. de adopt. vid. etiam l. 11. π. de his qui sui vel alien. jur. Bachov. comment. ad tit. π. de adopt. rubr. de Legitimat. n. 10. Struv. Synr. Jur. Civ. Exerc. 3. th. 50. Fachin. Lib. 3. controuv. 54.* Hodie cum non magnus sit patriæ potestatis effectus & itidem hodiè damnato concubinato, omnes extra matrimonium nati pro spurii habeantur, de hac re quæstio non magni erit usus, vix enim reperietur quis ita mentis inops, ut spuriius potius manere, quàm se legitimari velit. *Bachov. ad Treuil.*

5 *Vol. 1. Disp. 2. th. 6. Lit. D.* Liberi Legitimatii autem de Jure Civili non sunt unius, sed triplicis generis, nam alii Legitimatii sunt per subsequens matrimonium, alii per Rescriptum Principis, alii verò per Obla-



Oblationem Curia tales sunt. Legitimus per subsequens ma-  
trimonium dicitur filius, qui ab initio extra iustas nuptias genitus, ac  
postmodum legitimo matrimonio à parentibus ejusdem contracto,  
legitimus extitit. *Nov. 89. cap. 1. & 8. d. c. tanta. 6.* Per Re-  
scriptum Principis Legitimus est filius illegitimè procreatus, quem vel  
immediatè ipse Princeps rescripto suo, vel mediatè per Comites Palati-  
nos, ad instantiam ipsius patris, aut post mortem ejus ad preces filii ille-  
gitimi, natalibus restituit, legitimumq; esse jussit. *Authentic. Præterea.  
C. de natur. lib. Nov. 74. c. 2. & Nov. 89. cap. 9.* Legitimus  
per Oblationem Curia est filius extra matrimonium quæsitus, qui à  
patre in testamento, aut inter vivos oblati est Curia, sive muneribus  
curialibus, vel post mortem patris seipsum obtulit ordini curialium,  
atq; sic legitimus effectus est. *§. ult. Inst. de nupt. l. 3. C. de natur.  
lib. Nov. 89. cap. 2.* Quidam DD. ut Vultej. *Lib. 1. J. R. c. 23.*  
*n. 9. Rittershaus. in Nov. p. 4. c. 12. n. u. Harpp. ad pr. Inst. de hered.  
que ab intest. n. 314.* aliiq; per *Nov. 117. cap. 2.* quartum genus legi-  
timatorum addunt, minirum per Nominationem filii tales, quos scilicet  
pater in testamento, vel alio publico instrumento, aut chirographo ha-  
bente trium testium subscriptionem, vel apud acta tales illegitimos no-  
minaverit suos filios. Ast cum nominatio filii in dubio legitimarum  
nuptiarum, & quæ ex illis est legitima nativitas argumentum, quod  
pater eorum liberorum matrem pro uxore habuerit, quodq; liberi non  
facti sed nati sint legitimi: Ac sola assertio, si certo constat, liberos na-  
turales esse, non faciat eos legitimos *l. neq; professio. 5. C. de testa-  
mentis.* siquidem nominatio filii, species & modus legitimationis non  
est; Liberi à patre filii appellati quartum genus legitimorum non  
constituent. *Hilliger. ad Donell. lib. 2. cap. 21. Lit. G. Ungepauer.  
Exerc. Justin. 9. quest. 6. Vinn. comm. ad Inst. §. ult. de nupt. Brun-  
nemann. ad l. 6. & 7. C. de natur. liber.*

## CAPUT II.

DE

# JURIBUS LEGITIMATORUM PER SUBSEQUENS MATRIMONIUM.

A 2

SUMMA-



S U M M A R I A.

<i>Connexio.</i>	n. 1	<i>C. d. revocat. donat.</i>	n. 13
<i>Legitimati per subs. matr. eadem jura habent, quæ ab initio legitimè nati, his per omnia equiparantur, &amp;</i>		<i>Rumpit testamentum.</i>	n. 14
<i>Ex qua ratione id fiat, n. 2.3.</i>		<i>Habet querelam inoff. testamenti.</i>	n. 15
	n. 4	<i>Competit ei Legitima.</i>	n. 16
<i>Quod de legitimè natis prædicatur, idem de Legitimatis.</i>		<i>Equaliter cum filiis ab initio legitimè natis succedit iis, quibus illi succedunt.</i>	n. 17
	n. 5	<i>Liberi post nuptias nati non possunt ante nuptias natos excludere.</i>	n. 18
<i>Legitimato competunt privilegia &amp; insignia gentilitia.</i>	n. 6	<i>Legitimus per subs. matr. substitutum excludit.</i>	n. 19.
<i>Liberi ex ignobili femina naturaliter tantùm suscepti, at subs. matr. legitimati nobilitatem juræ, insignium consequuntur.</i>	n. 7	<i>Filiam vigore statuti excludit.</i>	n. 20
<i>Legitimus subs. matr. dignitatum capax est.</i>	n. 8	<i>In Feudis succedit.</i>	n. 21. & 22
<i>Ac ipsi testimonium natalitium dari potest.</i>	n. 9	<i>Legitimato competunt jura legitimorum, etiam si legitimatio in mortis articulo facta sit.</i>	n. 23
<i>Admittendus in collegia opificum.</i>	n. 10. & 11.	<i>Intermedium matrimonium legitimato non obest.</i>	n. 24
<i>Habet item jus Retractus.</i>	n. 12	<i>Nec officit ei, licet non fuerit legitimatus adhibitis instrumentis dotalibus.</i>	n. 25.
<i>Gaudet beneficio l. si unquam.</i>	n. 8.		

1 **P** Ræmissis generalibus de Legitimatis, jam ad eorum Jura progredior; Cum autem omnes æquali non veniant jure, de singulis separatim videndum, & primò quidem de Legitimatis per subsequens matrimonium, cum optimæ sint conditionis. Scilicet eis  
 2 omnia Jura competunt, quæ verè legitimis. Siquidem per subsequens matrimonium Legitimati, plenum Jus liberorum ex legitimo matrimonio receptorum, Jus Suietatis & agnationis, consequuntur §. ult. *Inst. de nupt. §. Sui; autem. 2. Inst. de hered. quæ ab intest. Nov. 12. c. 4. infim.*



infin. Nov. 18. cap. ult. Atq; nullum inter hos ac eos, qui ex initio  
iustis nuptiis procreati, est discrimen, sed immediate nati ex legitimo  
matrimonio censentur, ac per omnia & in omnibus pro veris, iustis &  
legitimis liberis habentur, eisq; æquiparantur *L. cum quis. 10. C. de na-*  
*zur. liber.* cujus hæc verba: *Quapropter sancimus in ejusmodi ca-*  
*sibus,* (quando scilicet aliqui geniti sunt ante matrimonium & quidam  
post) *omnes liberos una eademq; lance trutinari, & omnes filios*  
*suos in potestate sua existere genitoribus, ut nec prior, nec junior,*  
*nullo habeatur discrimine, sed qui ex iisdem matrimoniis procreati*  
*sunt, simili persuantur fortunâ.* Et Nov. 89. cap. 8. ibi: *& filios*  
*vel præcedentes* (nuptias scilicet) *vel conceptos legitimos esse sancim-*  
*us.* Et licet postea non nascantur filii ei, aut etiam nati mori-  
antur, nihilominus prior soboles legitima consistit. Item. cap.  
canta. 6. X. qui fil. sint legitimi, cujus verba sunt: *Tanta est via ma-*  
*trimonii, ut qui ante sunt geniti, post contractum matrimonium*  
*legitimi habeantur.*

Ex d. c. tanta. apparet, Rationem hujus  
consistere infavore & honore matrimonii, quod omnia vitia præterita  
purgat, cujus respectu hujusmodi legitimatio omnem maculâ genituræ  
tollit, liberosq; per matrimonium legitimatos ponit loco legitimorum  
ab ipsâ origine, quippe contingit hic quædam retrotractio, idèd paria  
sunt, ab initio esse tale, & ad tale postea reduci, tempus enim matrimo-  
nii retrotrahitur ad tempus natiuitatis filiorum, ita ut matrimonium  
ab initio statim legitimum contractum esse censetur, ante filiorum na-  
tuitatem, ut sic ab initio & retro liberi, & semper verè & propriè legi-  
timi ac iusti esse videantur. Gail. 2. observ. 141. n. 1. Carpz. Jurispr.  
For. Part. 2. const. 6. def. 15. Hahn ad Wesf. tit. π. de his qui sui  
vel alien. n. 2. D. Stryk. tract. de success. ab intest. Diss. 1. cap. 2.  
sb. 61.

Et quod tales legitimi per omnia legitime natis com-  
parentur, iudicavit Camera Imperialis teste Andr. Gail. c. l. n. 2. Proq;  
legitimis eos quoq; agnoscit Jus Provinc. Prutenicum. Pr. Landr.  
Lib. 2. tit. 5. §. 1. & 2. verbis. *Und sollen die Kinder / die seu-*  
*mand mit einer ledigen Person gezeuget / mit nachge-*  
*bender Ehligunge / geehliget und pro legitimis gehalten*  
*werden.* Et Lib. 5. tit. 12. a. 1. §. 9. ibi: *daß dieselben (legitimi*  
*scilicet per matrimonium) für rechte Ehekinde / gehalten seyn*  
*sollen.*



5 **sollen.** Hinc quod de uno comparatorum Jure definitum est, idem etiam de altero dispositum intelligi debet. *c. cum dilectus. 14. c. ad audientiam Extr. de clericis non resident.* Ex quò

6 **SEQUITUR PRIMO:** quod per subsequens matrimonium Legitimo Privilegia, insignia atq; arma Gentilitia & paterna competant, eisq; uti ipsi permissum sit. Tiraquell. *de Nobilit. cap. 15. n. 21.* Höppingk. *de Jur. Insign. cap. 7. n. 161.* Boccr. *de Regalib. c. 3. n. 29.*

7 **AMPLIATUR** hoc: ut procedat, etiamsi legitimatus sit progenitus ex matre, quæ cum patre ejus ante matrimonii tempus disparis fuerit generis v. g. cujus pater vir nobilis, mater verò ignobilis & plebeja. Hoc ipso enim, quod ignobilem matrem nobilis pater in uxorem ducat filius antea natus respectu patris etiam legitimus redditur nobilisq; efficitur. Tùm, quia ex generali regula legitimantur filii per matrimonium, si potuerit tempore coitus esse matrimonium, *d. c. tanta. 6.* Et id quidem ex quocunq; coitu nati fuerint. Tùm, quia ex matrimonio contracto cum ancilla vel liberta legitimari filios prius natos probat *nov. 18. c. 11. Nov. 78. c. 3.* quamvis ancillæ & libertæ villis & abjectæ sint conditionis *l. Humilem. 7. C. de incest. & inu. nupt.* Tiraquell. *c. 1. n. 23.* Itaq; si talis legitimatus respectu patris est legitimus, sequitur, quod si pater nobilis sit, & ipse legitimatus ejusdem conditionis esse censeatur, cum filii nobilis legitimi, licet ex matre ignobili & plebeja nati sint, de nobilitate paterna participant, & quoad dignitatem, familiam, gentem & similia, quæ Juris civilis sunt, patris non matris statum & conditionem sequantur. *l. cum legitima. 19. π. de Statu hom. l. filiam. 9. & l. Liberos. 10. π. de Senatorib. l. exemplo. 36. C. de Decuriorib. Honded. 2. conf. 72. n. 38.* Bachov. *ad π. Lib. 1. tit. 6. rubr. de legitimat. n. 9.* Hunn. *ad Treutl. Vol. 1. Disp. 2. th. 10. Lit. A.* Boccr. *de Regal. c. 2. n. 19.*

8 **SEQUITUR SECUNDO:** quod Legitimus per subf. matr. ad dignitates eveli possit. Tiraquell. *de Jure primogen. quest. 34. n. 56.* Sic absq; alia dispensatione ad ordines & ad dignitates Ecclesiasticas promovetur, imò Episcopus eligitur, per *c. innovuit. 26. de Elef. Covarruv. de matr. c. 8. §. 2. n. 28.* Gail. *2. obs. 141. n. 2.* Molina *de 7. & 7. tr. 2. D. 172. n. 6.*

9 **SEQUITUR TERTIO:** quod Legitimo per subf. matr. dari



7  
dari possit testimonium natalitium Geburts-Brieff, quod ex thoro legitimo & parentibus honestis natus fuerit, von ehelichen / frommen Eltern und auß einem rechten / ehelichen Ehebett geböhren. Quod iniuper probatur in *c. cum in cunctis. 7. X. de Elect.* ubi dicitur, Episcopum debere eligi natum ex matrimonio legitimo: & tamen in *d. c. innotuit.* probatur naturalem per matrimonium subsequens legitimatum, posse in episcopum eligi. Carpz. *Jurispr. For. P. 2. Const. 6. Def. 5.*

SEQUITUR QUARTO: quod Legitimus per subf. matr. 10  
in collegia Opificum recipiendus sit, quicquid etiam opifices dicant, non obstante eorum statuto, quod modò ex probis honestisq; parentibus ac thoro legitimo procreatos in consortium eorum admittit; quam in sententiam etiam in Saxonia responsum & pronunciatum testantur Carpz. in *Jurispr. Eccl. L. 2. t. 14. d. 236.* & Joh. Philipp. in *Ufu pract. Instir. Lib. 1. Eclog. 72.*

AMPLIATUR 11  
hoc & procedit; Licet etiam in Statutis Collegii aliud provisum esset, nempe admittendos non esse per subf. matr. Legitimos; Nam ejusmodi statutum contra matrimonii Jus & favorem nullius momenti est, ut tradit Carpz. *J. F. p. 2. C. 6. d. 12.* Quin & sola iniquitas statutum illud infringit & evertit, ne liberi innocii tanquam peccantes puniantur, *Nov. 12. pr.*

SEQUITUR QUINTO: quod filio per subf. matr. Legitimo 12  
competat Jus *αποκληρωτικος* sive Retractus Gentilitius, quippe retrahere potest res à consanguineo venditas jure proximitatis, cum per eum non minus ac per legitime natos bona in familia conserventur, quemadmodum id docent Tiraquell. *de Retractu §. 1. gloss. 8. n. 10.* Marta Neapol. *Noviss. Digest. tom. 4. Legitimus. c. 3.* Willenbach *ad π. Disp. 36. sb. 5.* Carpz. *J. F. p. 2. c. 31. d. 11.* D. Stryck. *l. c. D. 6. c. 2. sb. 26.*

SEQUITUR SEXTO: quod Legitimus per subf. matr. gau- 13  
deat beneficio *l. Si unquam. 8. C. de revocat. donat.* revocat nempe donationem à parente factam, ut asserit Tiraquell. *ad d. l. 8. in verbo susceperit. n. 71.* Gail. *2. observ. 141. n. 2.* Nam quemadmodum nativitate filii legitimi donatio præcedens revocatur, ita etiam Legitimatione filii naturalis per subf. matr. Corarruv. *c. l. n. 36.* Molina *de J. & J. tr. 2. D. 172. n. 6.* quandoquidem legitimatus dicitur natus post



post donationem, tanquam posthumus, i. e. Legitimus obtinet vicem posthumi, ut concludit Tiraquell. *c. l. n. 69. & 80.*

14 **SEQUITUR SEPTIMO:** quod eodem modo Legitimus per subf. matr. testamentum patris ante subsecutam Legitimationem factum, in quo præteritus est quasi agnatione rumpat. Legitimus enim & hic vicem posthumi obtinet, & habetur ac si ipse post testamentum legitimus natus fuisset. Id quod etiam affirmat Tiraq. *l. c. n. 81.* Hilliger. *in Donell. Lib. 6. cap. 16. Lit. I.* Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. D. 10. th. 7. Lit. A.* Ludwell. *ad Inst. Exerc. 8. th. 7. Lit. b.* Hahn. *ad Wesemb. Lib. 28. tit. 3. n. 3.* Vinn. *comm. ad §. 1. f. quib. mod. test. infirm. Brunnemann. ad l. 6. n. de injusto, rupto. n. 2.*

15 **SEQUITUR OCTAVO:** quod Legitimus per subf. matr. factum à patre testamento, in quo præteritus vel injustè ex heredatus est, iisdem remediis, quibus liberi legitime nati, experiendi potestatem habeat; quod nimirum illud tanquam in officiosum & nullum querelare possit. Bachov. *ad Tr. vol. 2. D. 16. th. 2. Lit. b.* Hunn. *ibid. c. l.*

16 **SEQUITUR NONO:** quod filio Legitimo per subf. matr. idem Jus circa Legitimam, ac initio legitime natis, competat. Nam ipsi debetur Legitima in bonis parentis *Nov. 89. c. 8. pr.* Tiraq. *c. l. n. 79.* Honded. *1. conf. 89. n. 7.* Illam item sub titulo honorabili institutionis pater testans filio naturali legitimo relinquere debet; In tantum, ut si minus ei legitima, adeoq; non integra fuerit relicta, jus petendi supplementum ipsi competat. Honded. *c. l. n. 8. & 9.*

17 **SEQUITUR DECIMO:** quod Legitimus per subf. matr. idem Jus, ac alij legitime nati, circa successionem ab intestato in bonis allodialibus habeat. Quippe parentibus suis legitimus successor est, eisdemq; succedit. *§. Sui 2. f. de hered. que ab intest. l. Cumquis 10. C. de natur. lib. Nov. 12. insin. Nov. 89. c. 8. pr.* Covarruv. *c. l. n. 25.* Honded. *2. conf. 72. n. 30.* D. Stryk. *d. t. D. 1. c. 2. th. 61.* Succedit item & coeteris ex transversa linea cognatis & agnatis, quibus succedunt illi, qui revera ab initio fuerunt legitimi. Covarruv. *d. l. Schneid. ad tit. f. de hered. que ab int. in primo ordine n. 9. & in tert. ord. n. 5.* Honded. *2. conf. 83. n. 3. & 4.* Strauch. *de success. ab intest. Disp. 5. th. 27.* Ludwell. *ad Inst. Exerc. 10. th. 2. Lit. C.*

18 D. Stryk. *d. tr. D. 3. c. 1. th. 40.* Hoc **AMPLIATUR PRIMO:**



ut procedat, etiamsi alii post nuptias nati liberi adsint. Liberi enim post nuptias nati non possunt omne paternum patrimonium sibi vindicare, & fratres suos ante nuptias natos ab hereditate repellere, sed illi tum cum his concurrunt & legitimitati unà cum legitime procreatis succedunt. *d. §. 2. f. de hered. quæ ab int. l. Divi. s. l. cum quis 10. C. de natur. lib.* Ratio habetur in *d. l. 10.* videlicet, cum affectio prioris sobolis ad nuptias contrahendas & ad posteriorem filiorum edendam progeniem præstiterit occasionem, iniquissimum esset, ipsam stirpem secundæ posteritatis, priorem tanquam injustam & illegitimam excludere, cum gratias agere fratribus suis posteriores debeant, quorum beneficio ipsi sunt iusti filii, & nomen & ordinem consecuti. Jus Prutenicum & hæc in re cum Jure Civili convenit; Admittuntur enim & eo Jure unà cum legitimis ad successionem liberi qui ex concubina suscepti, & persubl. matr. legitimitati. *Pr. Land N. Lib. 5. tit. 12. art. 1. §. 9.* Wir wollen in der Zahl der Ehelichgebohrnen Kinder / auch die jenigen Kinder / so der Mann mit einer ledigen Weibs Persohn / vor der Ehe erzeuget / folgendes aber öffentlich geehliget und zur Kirchen geführt hat / dadurch denn solche Kinder auch legitimiret und geehliget werden / mit begriffen und gemeinet haben: Also / daß dieselben für rechte Eheliche Kinder gehalten / und gleich den andern in der Ehe erzeugten Kindern Erbfähig seyn sollen.

**AMPLIATUR SECUNDO:** 19  
Etiamsi alius parenti substitutus sit, sub conditione, si institutus, scilicet legitimitati parens, sine liberis legitimis decesserit; talem namque substitutum Legitimus persubl. matr. excludit; *Marta Neap. tom. 4. Legitimus c. 4. Honded. 1. conf. 32. n. 44. Ripa de action. in artic. mort. c. 2.* Dummodò parens non in odium alterius, qui aliquin succedere debebat, sed in commodum suorum naturalium filiorum, aut ut uteretur jure suo, vel aliquo alio bono fine, matrimonium contraxerit. *Molina de f. & f. tr. 2. Disp. 172. n. 14.*

**SEQUITUR UNDECIMO:** Quod, si adsit statutum 20  
filium existente filio excludens, filius persubsequens matr. legitimitas vigore statuti filia legitima præferendus sit. Siquidem Statuta in successione præferentia masculos foeminis ad conservationem familiarum maxime respiciunt, ne per foeminas, quæ in aliam transeunt

trans-



transferunturq; familiam, attenuentur patrimonia. At per Legitimos si vel soli, vel unà cum aliis extent, familiae conservantur, cum & agnationem, & inde nomen, & alia eò pertinentia consequantur. Gail. 2. *obsf. 141.* Strauch. *d. tr. D. 3. th. 39.* D. Stryk. *d. tr. D. 1. c. 2. th. 66.* Nec obstat, quod Statuta sint strictè explicanda *l. 3. §. 1. π. de negot. gest.* Carpz. *J. F. p. 2. C. 6. D. 15.*

21

SEQUITUR DUODECIMO: Quod per subseq. matr. Legitimus à successione Feudi non excludatur, sed æq; ac legitime ab initio nati succedat. Quandoquidem in disceptatione caularum feudaliū, deficientibus feudorum consuetudinibus, ad Jus Commune esse recurrendum certum est, per *text. 2. F. 1.* ubi Feudista ait: *Strenuus Legis peritus, sicubi casus emerferit, qui consuetudine Feudi non sit comprehensus absq; calumniã uti poterit Lege scripta.* Schnob. *Disf. Feud. 1. th. 12.* Igitur cum feudorum Jure nusquam elarè dispositum sit, an filius per subf. matr. legitimus in feudum succedat, ex jure communi dicendum est; hunc etiam in feudi successionem esse admittendum. *d. Nov. 89. c. 8. d. c. tanta.* Borcholten *de Feud. c. 7. n. 48.* Præprimis cū conditores Juris Feudalis perspectum habuerint, quid Legibus Romanis dispositum fuerit de successione liberorum per subf. matr. legitimatorum, *arg. d. tit. 1. F. 2.* Itaq; si ab hâc communi legislatione, de liberorum per subf. matr. legitimatorum, successione abhorruissent, utiq; id disertè alicubi testati fuissent; Sed nusquam hisce liberis aditum ad feudorum successionem expressè præcludunt, quapropter planè verosimile est, quod ii, dispositionem Juris communis secuti, etiam filium per matr. subf. legitimatum ad feudi successionem admiserint. Harpp. *ad pr. 7. de hered. que ab int.* AMPLI-

22

ATUR hoc: ut procedat, legitimatum per subf. matr. in feuda succedere, etiamsi constitutio Feudi sive Investitura expressè filium natum ex legitimo matrimonio, ehelichgebohrne Leibes-Lehns Erben ad successionem vocaverit. Quam sententiam tuentur & communiter receptam esse tradunt Schrad. *Part. 7. cap. 5. n. 21.* Covarruv. *c. l. n. 37. & 38.* Hartm. Pistor. *Lib. 2. quest. 41.* Carpz. *J. F. P. 3. C. 28. d. 17.* Struv. *Synragm. Jur. Feud. c. 9. aph. 2. n. 12.* D. Stryk. *c. l. c. 3. th. 27.* Atq; eam in Camerâ Imperiali approbatam, attestatur Mynsinger. *centur. 5. obsf. 42.* Jus nostrum Provinc. Prutenicum

tamen



tamen planè contrariatur Juri communi Feud. Legitimatumq; à suc-  
cessione feudali excludit. Pr. LandR. Lib. 7. tit. 2. §. 10. verbis :  
daß solche Kinder/ so durch nachgehende Ehe Legitimiret/  
der Leben nicht sollen sähig seyn. &c. Omnia prædicta 25  
AMPLIANTUR PRIMO : Ut non interet, an quis legitimatus fuerit  
per matrimonium in articulo mortis contractum, argm. §. 10. f. de  
nupt. & §. 2. f. de hered. qua ab int. ubi generaliter traditur, liberos  
in concubinato natos per subsequens matrimonium effici legitimos,  
illosq; ejus causa liberorum legitimorum assequi jura. Hoc casu au-  
tem matrimonium esse, certum est; Tum quia matrimonium ad ex-  
tremum usq; vite spiritum rectè contrahitur l. Hoc genus 106. n. de  
condit. & demonstr. Tum quia nuptias non concubitus, sed consen-  
sus facit. l. nuptias. 30. n. de R. J. Copula enim de essentia matri-  
monii non est, sed sufficit potentia generandi, quæ & tunc adest, licet  
per extrinsecum morbi impedimentum ejus usus sit suspensus, Covarr.  
d. l. n. 10. Zoësius ad Jus Canon. tit. qui fil. sunt legit. n. 14. Re-  
quiritur tamen hic, ut fraudis suspicio absit, ac articulus mortis sub  
quadam latitudine capiatur, scilicet ut intelligatur matrimonium con-  
tractum ab homine valdè ægroto, & ferè de sanitate desperante, qui  
tamen adhuc benè intelligat, quid agat, & non de eo, qui jam sensu ju-  
dicioq; orbatus sit. Ripa de off. in art. mort. c. 2. Bachov. ad Tréutl.  
Vol. 2. Diss. 16. th. 2. Lit. A. Hanc sententiam quoq; confirmat Jus  
nostrum Prutenicum Pr. LandR. Lib. 2. tit. 5. §. 2. Also mag  
auch einer in seinem Tod Bette ihme eine verehligten lassen:  
Und sollen die Kinder/ die er zuvor mit ihr gezeuget / da-  
durch geehliget/ und pro legitimis gehalten werden. AM- 24  
PLIANTUR SECUNDO : Et procedunt, etiamsi quis legitimatus  
fuerit per tale matrimonium, cui præcesserat aliud quod ipsius pater  
post ejus nativitatem, cum alia contraxerat uxore. Siquidem, cum  
pater, post filii naturalis nativitatem, ducat aliam conjugem, & mor-  
tuà ea, postea in uxorem accipiat priorem concubinam, ex qua habuit  
filium naturalem, naturalis verè legitimus efficitur, ac matrimonium  
intermedium legitimationem ejus non vitiat; Tum, quia vis legiti-  
mandi matrimonio simpliciter & indistinctè conceditur in l. Divi. 5.  
C. de natur. lib. Nov. 12. c. 4. d. c. causa. 6. X. qui filii sint legit.  
B 2 neq;



neq; unquam distinguitur, an aliquod medium matrimonium inter-  
 cesserit, vel non; vel an alia subit legitima proles, vel non; At le-  
 gibus non distinguentibus, nec nos distinguere debemus. *arg. l. De  
 pretio. §. π. de Public. in rem act. l. omnia i. §. 4. de off. pref. urbi.*  
 Tūm, quia in dubio favere debemus legitimationi, ubi contrarium deci-  
 sum non est. *Bachov. ad Truil. c. 1.* Tūm, quia sufficit, quod tem-  
 pore primi complexus & tempore subsecuti matrimonii concubina  
 possit esse uxor; sive ut duo extrema sint habilia, extremum à quo,  
 & extremum ad quod; nam in favorabilibus habitis extremis de medio  
 non curatur, & tempora media non nocent, quò minus extrema con-  
 jungantur; Sic in libertate consequenda sufficit, matrem, vel cum  
 conciperet, vel intermedio tempore liberam fuisse *pr. J. de Ingentis.*  
 Ita etiam in acquirenda hereditate sufficit heredem capacem hereditatis  
 esse, tempore mortis testatoris & aditæ hereditatis, licet intermedio tem-  
 pore incapax fuerit *§. in extraneis 4. J. de hered. qual.* A M-  
 PLIANTUR TERTIO: & procedunt, Licet hodie legitima-  
 tus quis fuerit, non adhibitis instrumentis dotalibus; Quippe nihilo-  
 minus talis legitimus redditur, etiamsi non accesserint instrumenta  
 dotalia. Quamvis Jus Civile ad hanc legitimationem videatur re-  
 quirere, ut dotalia fuerint instrumenta confecta, *in §. fin. Inst. de nupt.*  
*l. cum quis. 10. l. nuper 11. C. de natur. liber. Nov. 89. c. 8.* Atta-  
 men Legitimitas non ab instrumentis hisce, sed à matrimonio per in-  
 strumenta dotalia probato dependet. *Nov. 117. c. 3. Ludwell. ad Inst.*  
*Exerc. 2. th. 7. Lit. G.* De affectione enim concubinaria in marita-  
 lem mutata, olim facile constare non poterat, an scilicet in posterum  
 pro concubina, an verò foeminam pro uxore retinere velit, nisi id dotali-  
 bus instrumentis maritus declarasset, sola enim animi destinatione  
 concubina aestimabatur. *l. 4. π. de concubin. Bronchorst. cent. 1.*  
*Misc. aff. 97. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 3. th. 50. D. Stryk. d. tr.*  
*D. i. c. 2. th. 63.* Hodie moribusq; nostris, cum certior via probandi  
 matrimonium detur per benedictionem sacerdotalem & Calendaria  
 Ecclesiastica Kirchen-Bücher / ideoq; instrumenta dotalia planè non  
 attenduntur. Sic etiam ea Jus Prutenicum non exigit. *Pr. Land R.*  
*Lib. 2. r. 5. §. 1. verbis: Und irret nicht/ ob gleich keine Heyrahts  
 Brieffe/ oder Pacta dotalia, solcher Ehe halben/ auffgerichtet wou-  
 den;*



den: Sondern ist genug/ daß sie ihren Consens und Willen einander beweislich ergeben haben.

13

## CAPUT III.

DE

# JURIBUS PER RESCRIPTUM PRINCIPIS LEGITIMATORUM.

### S U M M A R I A.

<i>Connexio.</i>	n. 1	<i>succedunt.</i>	n. 13
<i>Legitimati per Rescriptum Principis an sint verè legitimi &amp; quatenus legitimis comparantur.</i>	n. 2. 3. & 4	<i>Limitatur hoc.</i>	n. 13. 14. & 15
<i>Jus Suitatis habent.</i>	n. 5	<i>In Feudis Legitimati Principis Rescripto non succedunt.</i>	n. 16
<i>Competit eis legitima.</i>	n. 6.	<i>Limitatur hoc.</i>	n. 17. & 18.
<i>Habent querelam inofficiosi testamenti.</i>	n. 7	<i>Quatenus in Fidei commissis succedant.</i>	n. 19
<i>Succedunt patri &amp; agnatis.</i>	n. 8	<i>Non comprehenduntur statuto feminas excludente legitimis extrantibus.</i>	n. 20
<i>A collegiis honestis repelli non possunt.</i>	n. 9	<i>De jure Prutenico non succedunt ab intestato.</i>	n. 21
<i>In casibus in jure non expressis legitimis non equiparantur.</i>	n. 10	<i>Non habent Jus Retractus.</i>	n. 22
<i>Non possunt plus ex testamento patris consequi, quàm verè legitimi.</i>	n. 11	<i>Non revocant donationem à patre factam.</i>	n. 23
<i>Exstantibus liberis legitimis non</i>		<i>Cur nihil hic de Legitimatis per oblationem Curia dicatur.</i>	n. 24
		<i>Fines dicursui imponitur.</i>	n. 25

**H**Actenus de Juribus per subsequens matrimonium Legitimatorum, dispiciendum hoc loco, quæ Jura competant per Rescriptum Principis Legitimatis. De his autem in Nov. 89. cap. 9. §. 6. sancitum legimus, quod restituantur juri legitimorum, quodq;

B 3.



quodq; nihil à legitimis differant, ibi: *Sit igitur licentia patri in predictis casibus matrem in priore schemate relinquenti, imperio preces offerre, hoc declarantes, quia vult naturales suos filios restituere natura & antique ingenuitati, & juri legitimo, ut sub potestate ejus consistant, nihil à legitimis differentes, quo facto ex hoc filios frui ejusmodi adjutorio.* Idemq; etiam de iis in *Nov. 74. c. 2. pr.* dicitur.

3 Inferunt igitur DD. ex *d. d. Nov. Nov.* quod inter Legitimos per Rescriptum Principis & legitime natos nulla prorsus differentia sit, illosque ceu verè legitimos Jus Suitatis, agnationis habere, & omnia legitimorum Jura atque beneficia plenissime

4 obtinere. Quodam tamen cum moderamine allegata *d. d. Nov. Nov.* verba sunt accipienda; Nam quod legitimi in iis dicantur, nihil à legitimis differre, id non de Legitimitate originaria & vera, sed de illa, quæ civilis, beneficiaria & ficta habetur, intelligendum. *Corarruv. de matr. cap. 8. §. 8. n. 15.* *Curt. sen. conf. 73. n. 22.* Quamvis enim Princeps lex viva & justitia animata, secundum plenitudinem potestatis suæ de jure supra jus dispensare possit. *cap. proposuit. 4. X. de concess. præbend.* illud scilicet minuendo, detrahendo, augendo & amplificando. *arg. l. Si imperialis. fin. C. de LL.* ita ut de ejus potestate dubitare sacrilegii instar esse videatur *l. Disputare. 3. C. de crim. sacril.* non immerito etiam eorum, quæ Leges præcipiunt gratiam facere potest. Fictionis ergo non quidem minor in casu ficto, quam veritatis in casu verò, vis est. *§. minorem 4. J. de adopt. l. filio. 23. de Lib. & posthum.* nec fictè sed verè legitimus, & agnatus quem princeps legitimat & agnasci facit, dicendus est. *vid. l. Imperialis 23. §. 1. C. de nupt. l. Qui in provincia 57. §. 1. in fin. π. de ritu nupt.* Attamen, qui simul natura talis sit, neutiquam facere potest, cum quæ naturæ sunt, juvari solùm, non autem mutari etiam per Principem possunt *§. pen. J. de J. N. G. & C. l. 8. de cap. dimin.* Tùm, quia ut dicantur filii verè legitimi requiritur matrimonium, quod facti est *l. Filium 6. π. de his qui sui vel alien. & l. Paulus 11. de statu hom.* Ea autem, quæ facti sunt, non possunt per Principem induci, nisi mediante fictione. Comparatur itaq; factum civile naturali & sic legitimatus legitimo, non tamen præter, sed secundum Juris Civilis auctoritatem, h. e. non nisi in casibus à jure

Civili



15

Civili definitis & expressis. *Gail. 2. obs. 140. n. 7. Curt. sen. conf. 13. n. 2. Marta Neap. rom. 4. Legitimus. cap. 2. Hunn. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 16. th. 2. Lit. E.* Nam quamvis Legitimus per Rescr. Pr. patri fiat suus heres, ut probatur *Rubr. in Nov. 74.* Ideoque etiam ipsi Legitima debeatur, & quidem jure institutionis, eamq; petere possit ac ejus supplementum. *Curt. sen. conf. 35. n. 1. Decian. Vol. 1. Resp. 37. n. 7. Honded. 1. conf. 89. 60. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 10. th. 11.* Ac capropter etiam testamentum patris in quo præteritus est, nullum dicere possit, & agere querela inofficiosi testamenti. *Decian. Vol. 3. Resp. 40. n. 4. Corarruv. c. l. §. 8. n. 3. Molina tr. de J. & J. tr. 2. Disp. 173. n. 24.* Quamvis item successibilis sit non solum patri, sed etiam omnibus ascendentibus, agnatis & propinquis *Nov. 89. c. 4. pr. & c. 9. infin. Molina d. J. & J. c. l. n. 24. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 38. th. 20. D. Stryk. d. tr. D. 3. c. 1. th. 41. & 42.* Ac à collegiis honestis minimè repelli possit *Carpz. J. F. p. 7. c. 6. d. 16. Hahn ad Wesemb. Tit. de his qui sui vel alien. jur. n. 2. Stryk. d. tr. D. 1. cap. 2. §. 76.* Non tamen Legitimati in casibus in jure non expressis veris Legitimis æquiparantur; Sic ex testamento quidem patri succedunt, non tamen eis plus relinqui potest, quam uni ex filiis legitimè natis, quod etiam requirere videtur *l. communium. C. de natur. liber. Nov. 89. c. 3. Gail. 2. obs. 142. n. 8. Molina de J. & J. p. 2. D. 173. n. 27. Peregrin. de fidei. com. art. 23. n. 31.* Ita etiam ab intestato filii legitimè natis extantibus non succedunt, *auth. præterea. C. de natur. liber. Nov. 74. C. 1. & 2. Nov. 89. c. 9. c. 11. §. 1.* **LIMITATUR** tamen hoc I. Si ex tantibus legitimis ad supplicationem patris, in qua tamen mentio facta sit necesse est liberorum legitimorum, adjectâ clausula: *non obstante, quod liberi legitimi supersint*, quis per Principem legitimatus fuerit, tum enim cum aliis liberis legitimis succedere potest. *Gail. 2. observ. 142. n. 7. Ludwell. Exerc. Inst. 10. th. 2. Lit. c. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 3. th. 55. & Exerc. 38. th. 20. Brunnemann. ad Auth. Præterea. C. de natur. liber. D. Stryk. c. l. th. 74.* Licet hoc à quibusdam DD. in controversiam vocetur, eò quod liberi legitimè nati hoc ipso lædantur, quibus tamen jure naturali debeatur hereditas parentum ex communi voto eorum *l. scripto*



- scripto 7. in fin. n. si tab. test. null. exstab.* cui Princeps derogare non possit. Verum iis optimè D. Stryk. *l. c.* Respondet, nimirum quod Princeps legitimis eo casu non auferat Jus quæsitum, sed restringat tantum; Imò si bona quæ ultra legitimam habet, pater in quemvis extraneum transferre possit, quid vetaret quominus hæc in liberos legitimatos transmittere possit.
- 14 **LIMITATUR II.** Si liberi legitimè nati in legitimationem consenserint, *arg. l. nam ita. 39. n. de adopt. Gail. 2. observ. 142. n. 10. Manz. ad Instit. L. 3. tit. 10. §. i. n. 65.*
- 15 **LIMITATUR III.** Si post Legitimationem jam factam demum justii liberi supervenerint, tum enim ab his excludi minimè possunt, sed cum eis legitimati æqualiter succedunt, quia hi per legitimationem sibi successionis jus quæsiere, dum facti sunt sui & in potestate, *d. Nov. 74. §. 89.* antequàm illi in rerum naturâ existerent. D. Stryk. *c. l. tb. 72. per Baehov. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 6. tb. 2. Lit. E. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 30. tb. 20.*
- 16 In Feudis Legitimati per Rescriptum Principis planè non succedunt, siue extent liberi legitimi, siue non per *text. expressum, in e. un. §. naturales tit. si de feud. defuncti controu. sit.* ubi dicitur: *Naturales filii, licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur.*
- 17 **LIMITATUR hoc I.** Nisi quis expressè ad ipsam feudi successionem ab ipso Domino Feudi, vel ab alio habente potestatem consentiente tamen Domino, legitimatus fuerit, nam tum is in feudo succedere potest. *Gail. 2. obs. 140. n. 9. Schrad. de Feud. part. 7. cap. 5. Rosenthal de Feud. c. 7. concl. 19. Carpz. Jurüpr. For. p. 1. Const. 28. def. 16.* Hoc tamen intelligendum de feudo novo non de antiquo, nisi consentientibus agnatis legitimatio talis facta sit. *Struv. Synt. Jur. Feud. c. 9. aphor. 3. n. 9. §. 10. Berens. disp. feud. 6. tb. 43.*
- 18 **LIMITATUR II.** Ut Legitimatus in feudo succedat, quando Dominus concessit feudum, pro se & suis filiis natis & nascituris, & scivit vasallum alios filios non habere, nisi naturales siue jam legitimatos. *Berens. c. l. Struv. c. l.*
- 19 In fidei commissis familiæ relictis, in quibus filii ex legitimo matrimonio siue legitimè nati ad successionem vocantur, etiam non admittuntur Legitimati per Rescr. Pr. Nisi ad id à Principe legitimati fuerint, vid. post. Peregrin. *de Fidei comm. art. 23. n. 49.* D. Stryk. *d. tr.*



*d. tr. D. 7. c. 2. lb. 39.* Multo minus in fideicommissio familiae nobili relicto succedunt, quod si tamen specialiter hoc illis per Principem vel ejus autoritate alium concessum fuerit, succedere poterunt. *Peregrin. c. l. n. 42.* Knipschilt *tract. de fideicom. cap. 8. n. 350.* Filius Legitimus per Reser. Pr. item, non excludit à successione parentum filias foeminas, ubi statutum mandat, ut existentibus filiis masculis, legitimis & naturalibus, foeminae excludantur. *Fachin. lib. 6. contr. 1.* Harpp. *ad pr. J. de hered. que ab intest. n. 305.* Imò filias vel foeminas non penitus excludit, licet post Legitimationem jam factam filia ex legitimo matrimonio supervenerint, sed, tum legitimum cum filia justa æqualiter succedere debere, æquitati magis consentaneum esse videtur, cum Legitimus contra legitimos pingviori Juris aut consuetudinis prærogativa uti non debeat. *Gail. 2. obs. 140.* Marta Neap. *tom. 4. digestorum noviss. tit. Legitimus. cap. 2.* D. Stryk. *c. l. lb. 73.* De Jure Prutenico Legitimi per Rescriptum Principis, præsertim extantibus ex legitimo matrimonio natis liberis, ab intestato succedere parentibus nequeunt, nam illud *Lib. 5. tit. 12. art. 1.* hanc firmam format regulam, quod legitime nati liberi solum parentibus ab intestato succedant, non autem legitimi, exceptis legitimis per subsequens matrimonium, *loc. all. §. 9.* Et hæc una exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Deinde disponit Jus nostrum Prutenicum *Lib. 4. tit. 7. a. 2. §. 5.* quod Retractus consanguineus cum successione paribus passibus ambulet; jam autem subsumitur ex *§. 2. loc. all.* Legitimi per Rescriptum Pr. Juris retractus capaces non sunt, cum non natura, sed saltem civiliter legitimi sunt, igitur nec ad successionem ab intestato admittendi erunt. Et ita hic à Tribunali est decretum.

Wir Friederich Wilhelm / &c. &c. &c.

Erkennen auff eingefommene Acta Appellationis vom Hoffgericht in Sachen N. Kläger an einem / dann N. Beklagten am andern Theil beyderseits Appellanten strittige Erbforderung betreffend / nach anugsahmer Erwegung der eingereichten

C

brach



brachten Acten und mündlicher Beybringung der Parte Justificando für Recht / daß die Appellation in ihren Formalibus beständig / dannhero diese Sache an unser Ober-Appellation Gericht gehöret; So viel die Materialia anbelanget / ist wegen der Forderung ex testamento und Aufhebung der Expensen wohl gesprochen. Im übrigen was die Succession ab intestato betrifft / wird es nach Gestalt und Gelegenheit dieser Sachen / dahin gestellt; Alldieweil unser Preussisches Land-Recht denen Legitimatibus per Rescriptum die Succession ab intestato nicht gönnet / sondern allein denen ehelich gebohrnen und per subsequens matrimonium Legitimatibus; Als mag so gestalten Sachen nach die N. zu ihres Seel. Vaters Verlassenschaft / zumahin da derselbe eine ehelich gebohrne Tochter nachgelassen / nicht admittiret / noch die Beklagte zu Edirung eines Inventarii mit Recht angehalten werden; weswegen die Parte pro Executione ans Hoffz Gericht gewiesen werden. W. R. J. B. R. W. Publ. Königsb. den 12. Martii Anno 1688.

- 22 Jure retractus quoque non gaudent Legitimati per Rescriptum Principis, si quando tempore legitimationis liberi legitimi adsunt; Etenim Jus retractus successionem ab intestato sequitur, jam autem in hoc casu legitimati non habent jus succedendi, Ergo nec jus retrahendi. D. Stryk. d. tract. de success. Diss. 6. cap. 2. tb. 17. Jus, Provinciale Pruten. Legitimatibus planè denegat Jus ~~retractus~~, cum sint non natura, sed saltem civiliter legitimi P. Land R. Lib. 4. tit. 7. art. 9. 2. Also mögen auch die / so durch Gewalt und Macht der Fürsten legitimiret oder ehelich gemacht worden seynd / sich des Einspruchs-Rechten / nehmlich des retractus gentilibi, nicht gebrauchen. Dann dieselben werden allein für Bürgerliche / und nicht natürliche Kinder geachtet.
- 23 Sic etiam Legitimati per Rescr. Pr. beneficium l. si unquam. §. C. de revocat. donat. non habent, quippe per legitimationem principali Rescripto non revocatur donatio ante legitimationem à parente factam, ut aliàs fit per nativatem & supervenientiam liberorum legitimorum, quemadmodum id latè probat



bat Tiraquell. *in d. l. si unquam verb. susceperit num. 64.* Bescold.  
*in delib. jur. ad l. ult. n. de adopt. Peregrin. d. l. art. 23.*  
*n. 65.*

De Legitimationis per Oblationem Curiae, dicere non placet, <sup>19</sup>  
cum tales apud nos hodie non reperiantur, hic enim legitimandi <sup>24</sup>  
modus per oblationem curiae ab usu recessit, teste Covarruv. *d. l.*  
*§. 7. v. f. Harpp. ad §. ult. f. de nupt. n. 3.* Joh. Philipp. *in*  
*usu pract. Instit. Lib. 1. Eclog. 72. n. 1.* Hahn *ad Wes. rit.*  
*de his qui sui. §. aut per oblationem. Brunnem. ad l. 4. §. 9.*  
*C. de nat. lib.*

Atque haec de Juribus Legitimatorum dixisse sufficiant; Plura <sup>25</sup>  
hic praetermissa lubens fateor, verum instituti mei haud fuit integ-  
rum adornare Commentarium, & grandi pagina turgescere, sed  
quali quali exercitio academico Doctorum decreata subire judicia;  
Spero interea, quemvis, quod doctior, melior & candidior est, ea, quae  
hic nimis festinanter, & minus concinnè tradita sunt,  
eò aequius accepturum.

## DEO SOLI GLORIA.

C 2

Cum



20  
Cùm Disputatio XVI. Pandectarum, de Usufructu,  
nuperrimè nostro nomine edita, ob temporis pe-  
nuriam, aliâq; Domini Respondentis impedi-  
menta ventilari non potuerit; ideò placuit eam  
in thesibus hîc subjicere, loco

## COROLLARIORUM.

### I.

**U**sufructus est Jus, alienis rebus utendi fruendi  
salva earum substantia *l. 1. π. de Usufr. pr.*  
*Inst. eod.*

### II.

Qui in causalem & formalem dividi nequit.

### III.

Constituitur vel ex singulari Legis disposi-  
tione, vel voluntate domini, h. in c. aut conven-  
tione, aut ultima voluntate §. 1. *J. eod.* Ex dispo-  
sitione Legis vel ipso Jure, vel officio Judicis. Ipso  
Jure constituitur (1.) Matri ad secundas nuptias  
transcunti, iis in bonis, quæ à priori marito erat  
consecuta, reservata proprietate liberis ex primo  
matrimonio procreatis *l. 3. §. illud. l. 5. & l. seq. C. de  
secund. nupt. l. 5. C. ad SC. Tertyll. & Nov. 22. c. 23.*  
(2.) Patri in bonis adventitii peculii liberorum, §. 1.  
& 2. *J. per quas person. cuiq; acquir. l. 6. C. de bon. que  
lib.*



lib. (3.) Uxori indotatæ post mortem viri in quarta parte bonorum. *Nov. 117. cap. 5.* Officio Judicis constituitur ususfructus in judiciis divisiis, ut in Judicio Familæ Ericiscundæ, & Communi dividendo, per adjudicationem, quando alteri proprietas, alteri ususfructus adjudicatur. *l. 6. § 1. π. de usufr. l. 16. §. 1. π. F. E.* Aliquando etiam prescriptione constituitur ususfructus. *l. ult. infm. C. de præscr. long. temp.*

IV.

Constituitur Ususfructus purè vel sub conditione *l. 16. §. 2. π. F. E.* pro parte divisa vel indivisa, ususfructus enim dividius est. *l. 5. π. de Usufr.*

V.

Constituto usufructu cavere debet usufructuarius, se boni viri arbitrato usurum, & finito usu, rem restitutum *t. t. Usufr. quemadm. cav.*

VI.

Quæ cautio de essentia ususfructus non est.

VII.

Ac proinde ab herede remitti potest, quod tamen à testatore fieri nequit. *l. pen. C. ut in poss. legat. l. 1. C. de Usufr.*

VIII.

Potestas ac Jus fructuarii est, ut percipiat omnes fructus



22  
fructus, siue naturales siue civiles, quos salva rei  
fructuariæ substantia percipere potest. l. 7. l. 9. pr.  
l. 12. §. 2. l. 58. π. de Usufr. potest & Jus utendi fruendi  
locare, vendere, & in alium cui velit transferre,  
l. 12. l. 13. l. 67. & §. 1. Inst. cod.

IX.

Finitur Ususfructus (1.) Morte naturali usu-  
fructuarii l. 3. l. 16. pr. quib. mod. usufr. §. 3. J. de usufr.  
(2.) Capitis diminutione maxima & media. d. §. 3.  
l. 16. §. 2. eodem. (3.) Non utendo per modum &  
tempus. d. §. 3. l. 20. & 25. π. quib. mod. usufr. (4.) Ces-  
sat cessione proprietatis Domino facta, vel si usu-  
fructuario proprietas obvenit, tunc enim hæc duo  
confunduntur. d. §. 3. l. 17. l. 27. π. quib. mod. usufr.  
(5.) Perit rei fructuariæ interitu. d. §. 3. l. 14. l. 23. π.  
quib. mod. usufr. (6.) Adjecti temporis vel con-  
ditionis existentia l. 15. eod. l. 5. l. 12.

C. de usufr.





Königsberg, Piss., 1686-94

ULB Halle 3  
004 356 780




R

H.

W 17











B.I.G.

Farbkarte #13

1689, 1

16 114

JURIDICA  
MATO.

RORUM

TIORA

ibens,

ente Triade,  
rdinis Authoritate,

DE  
RECTORE  
NE CHRI-

SOISS/  
Facult. Jurid. Decano,  
è in utroq; jure  
ltate,

NGIUS Sperber/  
didatus,

mini subjiat.

O MAJORI,  
1689.

16.

REUSNERIANIS,

33.

